

**Ignacy R. Danka, Krzysztof T.  
Witczak, Robert Zawadzki**

---

**De Schola Philologiae Classicae  
Lodziensis : ab initiis usque ad  
Professoris Stephani Oświecimski  
munera deponenda**

---

Collectanea Philologica 1, 13-17

---

1995

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

*Ignacy R. DANKA, Krzysztof T. WITCZAK, Robert ZAWADZKI*

DE SCHOLA PHILOLOGIAE CLASSICAE LODZIENSIS

(AB INITIIS USQUE AD PROFESSORIS STEPHANI OŚWIECIMSKI  
MUNERA DEPONENDA)

Philologiae Classicae Lodziensis schola apud Universitatem studiorum Lodziensem anno post Chr. n. millesimo nongentisimo quadragesimo quinto a Ioanne Oko condita est. Qui a mense Martio anni post Chr. n. 1945-ti ad mensem Iunium anni 1946-ti Cathedram Philologiae Classicae Lodziensem moderatus est. Postea mox mortuus est. Ei viro docto philologiae nostrae peritissimo nonnullae tunc iuvenes post tamen omnino notabiles personae, ut Maria Maykowska, Thaddaeus Błaszczyk, Anna Sadurska, assistebant. Illustrerem illum philologorum Vilnensem (scilicet Ioannem Oko), qui repente ita mortem obierat, professor Georgius Schnayder post brevem intermissionem Cathedrae moderamine secutus est. Cui M. Smokowski assistebat. Tum doctor Marianus Golias docentis dignitate acquisita mira docendi facultate praeditus vires scholae paedagogicas sua opera auxit. Etiam professor Vilnensis RAYmundus Gostkowski archaeologus philologos atque archaeologos docebat.

Pristinorum illorum scholasticorum nonnulla nomina, ut Annae Kamieńska poetriae, Bogdani Wiśniewski viri docti philologi eiusdemque philosophi, Lesconis Kołakowski clarissimi in Polonia peregreque philosophi, Ioannis Braun illustrissimi Varsoviae glottologi, Sabinae Nowicka, Bronislavae Krajewska, Antonii Źakiewicz magistrorum ob hanc aut ob aliam causam memorabilia manserunt.

Cathedra Philologiae Classicae Lodziensis ut institutio paedagogica tractanda anno post Chr. n. 1957-o occlusa est perque circa quattuor annos iuvenes scholasticos non aluit. Illo quidem tempore philologiae omnino parum favente studia classica paucis solum locis ut in Universitate Jagellonica Cracoviensi, item in Universitate Varsoviensi et Posnaniensi perrexerunt. At in illis supra mentione nostra nuncupatis universitatibus nonnuli viri feminaeque

doctrinae classicae studebant, qui postea Łodziam venerunt et post annum 1961-um schola Łodziensi classica renata ad eius incrementum, ut prole docta floreat, operam dederunt. Marianus quidem Golias per totam istam intercapidinem variarum Universitatis Łodziensis facultatum scholasticos lingua Latinam docebat.

Anno 1961-o olim doctor postea autem professor Stephanus Oświecimski, qui ante secundum bellum universum apud professorem Vilnensem Ioannem Oko doctrina classica imbuiebatur, in Universitate Łodziensi novus Cathedrae Classicae moderator apparuit. Cui adiutores praeter Marięnum Golias, Beniaminus Nadel, Anna Świderkówna, Raymundus Gostkowski, Thaddaeus Błaszczyk adveniebant aut ex aliis oppidis advehabantur. Assistebat autem professori Stephano Oświecimski Ignatius Richardus Danka Łodziensis, qui studiis philologicis Varsoviae finitis Łodziam urbem natalem revertit. Postea etiam proprii professoris Oświecimski discipuli, quos Łodziae educaverat, Iosephum Macjon, Vandam Gawłowska (olim Nalepa) aliosque dico, assesores eius fuerunt.

Hoc tempore etiam Societas Iuvenum Philologorum Classicorum condita est. Quorum iuvenum opera nonnulla vestigia in Polonice et Latine scriptis libellis chronicis aut in societatis documentis manserunt. Multa tamen praeterita, omissa, neglecta omnino oblivione obruta sunt. At quae Polonice et Latine in chronicis scripta sunt, aut memoria adhuc tenentur hoc loco paucis memorabuntur.

Omnino iuvenum philologorum Łodziensium opera in hoc posita est, quod in Cathedra consilia ab eis convocantur, dies festi quidam ab eis celebrantur, nonnumquam castra extra urbem ab eis ponuntur, peregrinationes quoque extraneae ab eis parantur et participantur. Quae opera aut potius otium per plus quam quinque lustra durat.

Consiliorum tempore iuvenes classici opuscula sua auscultantibus sodalibus legunt, postea in utramque partem disputatur. Opusculorum aut orationum argumenta primum ad antiquitatem Graeco-Romanam pertinebant, postea etiam quaestiones genticae proponebantur, denique ludi addebat ut recitationes et spectacula. Dies festus autem quotannis sancti Andreae celebrabatur, cuius diei sacra vulgo Andrealia appellata ab anno 1975 Latine in Philologiae Classicae Annalibus describebantur. Ritus ergo fuit beanos sive scholasticos novos in congregationem accipiendi, qui Andrealium tempore celebrabatur. Oratio Latina professoris Stephani Oświecimski, nonnumquam eius vicarii Ignatii Richardi Dancae primo loco ponebatur. Quae oratio salutatoria vocabatur at plerumque etiam de philologorum Łodziensium auctoritate operibusque tractabat. Sequebatur augurii ritus: artificiosae aves augurales automatiae inferebantur et mittebantur. Quibus quasi viventibus granum spargebatur et eae per granum vacillantes, saltantes, quondam cadentes ferebantur. Quarum motu auguria sive auspicia fiebant. Beanos

autem Cathedrae moderator pluma longa anserina per umeros tangebat ac nonnullis sacris verbis additis studiosos philologiae nostrae faciebat et nominabat. Nonnumquam dis caelestibus carmina recitabantur. Postea convivium parabatur, cui illis temporibus nec vinum nec mulsum deficiebat. Cantilenae Latinae aut in Latinum sermonem versae, nonnullae quoque Polonicae cantabantur. Etiam hymni Homerici Graece et similia eis carmina hexametrica in restituta lingua Indoeuropaea composita recitabantur. Cuius restitutae protolinguae usus proprietas est philologorum Lodziensium. Festorum igitur tempore etiam leviores cantiones Indoeuropaeice cantabantur. Harum cantilenarum exemplo *Deiwolos Dolos*, quae post opusculum nostrum citatur, sit. Saepe spectacula dapibus Andrealibus addeabantur. Postea studiosi ad discorum sonigerorum musicam saltabant.

Annis saeculi post Chr. n. vicesimi sexagesimis et septuagesimis a studiosis iuvenibus philologiae classicae Universitatis nostrae Lodziensis castra aestiva professore Stephano Oświecimski duce in Silesiae variis locis amoenis plerumque in oppidis, suburbii sive pagis prope silvas veteres ponebantur. E quibus aestivis egredientes silvas, prata, paludes migrantes perquirebant iuvenes philologi sepulcreta, templa, arces et inscriptiones Latinas, libentissime eas, quae pro signo gentis Polonicae hac in terra haberri potuerunt, describebant.

Annis 1968, 1970, 1971, 1972 professori Stephano Oświecimski domina Wanda Gawłowska assistebat quae de inscriptionibus Latinis in Silesia inventis et de Francisco Mymero Leomontano parum noto scriptore Silesio scripsit et in „*Philomatae*” fasciculis annis 1971 et 1972 publicavit. Anno 1969-o doctores Iosephus Macjon et Ignatius Richardus Danka castris praefuerunt.

Quorum castrorum duae descriptiones in Cathedrae Philologiae Classicae Lodziensis Actis ad tempus hodiernum manserunt, altera mense Iulio anni 1969 scripta, altera item mense Iulio at anno 1974-to scripta et imaginibus lucis ope pictis ornata. Priorem Ursula Śmiałkowska et Iolantha Rześna (postea Danka) composuerunt, alteram modesti auctores nominibus non subsignaverunt, sed eadem dominula Śmiałkowska tunc professori Stephano Oświecimski assistebat. Participavit quoque eorum castrorum munera dominula Danuta Jędrzejczak, quae annis huius saeculi octogesimis Cathedrae nostrae magistra fuit, nunc autem doctrix est. In nonnullis imaginibus laeta apparent philologorum ora, in aliis autem splendida Vratislaviae et aliorum Silesiae oppidorum aedificia. Aliorum castrorum participum et locorum nonnulla photographemata in Cathedra servata sunt, sed sine descriptionibus parvus eorum usus est. Aestivorum anni 1969 tempore studiosa Grazyna Pawlikowska moderabatur, patronus Iosephus Macjon fuit et Richardus Danka operam participavit, qui viri Catedrae Philologiae Lodziensis doctores facti sunt.

Postea septimo huius saeculi decennio (id est: annis octogesimis) nova castrorum aestivorum series, quam una cum historiae Universitatis nostrae Lodziensis scholasticis iuvenes philologi faciebant, continuabatur. Eis parandis

Sbigneus Danek maximam operam dabat aliique strenue ibi laborabant iuvenes philologi, at res eae alio loco describendae iam sunt.

Ut supra polliciti sumus, deo Dolo consecratam cantilenam iocosam a studiosis philologiae classicae Universitatis Lodzienensis olim cantatam, cuius in texto etiam Professor Stephanus Oświecimski memoratur, ab Halina Danka, una ex pueris antiquitati Romanae et Graecae studentibus, circa annum 1972-um in restituta lingua Indoeuropeica compositam, tempore aliquantulum mutatam, hoc loco citamus.

### DEIWOLOS DOLOS

The musical score consists of four staves of music in common time, treble clef, and a key signature of one flat. The score is divided into measures by vertical bar lines. Above the first two staves are measure numbers '1.3.' and '2.'. Above the third staff is '4.'. Above the fourth staff is '1.'. Below the fourth staff is '2.'. The lyrics are written below the notes, corresponding to the vocal parts. The lyrics are in Latin and Old Church Slavonic, with some words in all-caps. The music features eighth and sixteenth note patterns, with some notes having stems pointing in different directions. Measure 1.3 starts with a single eighth note followed by a sixteenth note. Measure 2 starts with a sixteenth note followed by an eighth note. Measure 4 starts with an eighth note followed by a sixteenth note. Measure 1 starts with a sixteenth note followed by an eighth note. Measure 2 starts with an eighth note followed by a sixteenth note.

Esti tālikos deiwołos Dolos,  
Yos pelu duskhēketi,  
At yedā prekm̄ is adkapeset,  
Tom ligu sudhēkeset.

Esti is sūnus deiwās Mñdhronās  
Deiwosyo-k<sup>w</sup>e Skotosyo,  
Esti is nepōts periklutosyo  
Deiwosyo Worwñosyo.

Ai, Dole, Dole!  
Gnōnts meyām dhughām  
adg<sup>w</sup>emetōd ki-dhegh<sup>w</sup>en.  
Eset moi te-kom  
atk<sup>w</sup>e toi me-kom

Swādu, ne swādu – smeiron. Eiğhō!  
Swādu, ne swādu – smeiron.

You apo kwased  
Yedā enstāset  
Sāwelyos ep' nebhesi,  
Yāli welesi, yāli maghesi,  
Dusdhēkesomes, eiğhi!  
Yāli welesi, yāli maghesi,  
Dusdhēkesomes, eiğhi!

Esti tālikos senos wiskos,  
Yos nomnyetai Oświecimiskos.  
So doper esti menei doliyos,  
Proti im, Dole, esdhi kelpliyos.  
So esti wiros peridoliyos, eiğhō!  
Proti tom, deiwe, esdhi moi priyos.

#### O ŁÓDZKIEJ SZKOLE FILOLOGICZNEJ

(streszczenie)

Autorzy dają krótki zarys historii filologii klasycznej na Uniwersytecie Łódzkim od roku 1945 aż do odejścia na emeryturę profesora Stefana Oświecimskiego (1976), skupiając uwagę przede wszystkim na działalności dydaktycznej. Wymieniają przy tym nazwiska licznych wykładowców i wychowanków z tego okresu, wspominają o obchodzonych uroczystościach i organizowanych obozach naukowych, a na koniec prezentują żartobliwą piosenkę studentów łódzkich (z lat siedemdziesiątych), w której wspomina się osobę prof. Oświecimskiego.